

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

OCTO BEATITUDINES DISTRIBUTUR IN VARIOS.

I. In pauperes regnum cœlorum. — II. In divites misericordia. — III. In cives gloria filiorum Dei. — IV. In magistratus saturitas. — V. In dominos possessio terræ. — VI. In servos et subditos consolatio. — VII. In conjugatos et virgines visio Dei. — VIII. In Christianos omnes regnum cœlorum.

## THEMA.

*Aperiens os suum, docebat eos.* Matth. VI

Consuetudo est hujus patriæ, qua hodierna die panes dulciarii, quos appellant *panes sanctorum*, per familias distribuuntur et ad mensam apponuntur. Quare ad hujusmodi panem alter alterum invitat, vel ab altero invitatur. Originem huic ritui videtur mihi dedisse Christus Dominus noster in hodierno evangelio, in quo dicitur aperuisse os suum, et docuisse suos discipulos octo beatitudines; quæ sane nihil aliud sunt, quam dulcissimi sanctorum adhuc militantium panes, quibus ad prosequendam suam militiam ac laborem mire confortantur et recreantur. Si enim, teste ipso Domino, Matth. IV. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* certe etiam ex his Christi verbis, quibus octo beatitudines proposuit, omni dulcore et solatio plenis, vivent Christiani. Et propterea existimo Matthæum sic locutum: *Aperiens os suum, docebat eos,* voluit enim dicere, Christum aperuisse os suum, velut thesaurum sapientiæ, ut bona dividat suis, ait glossa interlin. Ex hoc igitur thesauro, ex hoc penu oris Domini desumemus hodie panes sanctorum dulciarios, et dividemus per octo classes, juxta id Ecclesiasticus XI. *Da partem septem, nec non et octo, scilicet egentibus;* quos qui cum gustu comederint ac ruminarint, spes est perventuros ad numerum sanctorum, qui jam in cœlis regnant et fruuntur pane angelorum.

I. Dabimus pauperibus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quid dulcius, o pauperes, quid gratius vobis dari potest regno cœlorum? Ecce vobis Christus legat regnum illud, si hic paupertatem vestram patienter toleraveritis. Leontius Atheniensis philosophus, cum filiam Athenaidem, splendidam fortunam ex varia disciplinarum eruditione consecuturam cognovisset, testamento suas opes duobus filiis reliquit,

filie nonnisi centum aureis legatis, hac adjecta clausula, quod fortuna ejus suffectura ei esset. Ergo a fratribus patrimonium sibi vindicantibus, paterna domo exacta, amatertera Constantinopolim perducta est; atque ibi baptizata, nomine in Eudociam mutata, ob formæ elegantiam et insignem eruditionem, Theodosio imperatori desponsata. Quo facto, accersitis ad se fratribus, multas egit gratias, quod paterna eiecissent se domo; alioquin nunquam ad regni solium perventuram fuisse, Zonaras et Cuspinianus, in Theod. Quid videtur vobis, pauperes? Vobis contingit, quod contigit Athenaidi; Pater vester cœlestis omnes pene opes suas dedit divitibus, vobis parum aut nihil dedit; sed en prædicit ac promittit hodie vobis regium cœli solium, ob vestram patientiam, si eam cum paupertate vestra conjunxeritis. Durum asseretis hoc esse testamentum: expellimini enim a divitibus, deserimini, patimini. Verum expectate paulum, cœlorum regnum vos expectat. Hanc conditionem cum divitibus, fratribus vestris, commutabitis? Exiguas terræ glebas eis invidebitis? Imo vero aliquando summas gratias agetis, quod vos expulerint, deseruerint, contempserint. Hæc enim expulsio, desolatio et contemptus fortuna vestra est et cœli regnum vobis parat. Audite D. Augustinum in serm. de patientia (apud Oct. de Tufo in Ecclesiasticum, c. II. § II.) «Ne indignemini, fratres, inquit, si vos adversa patimini; quia non est christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali enim nihil habent in cœlis, et vos nihil habere debetis in terris; spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in vita contigerit, gaudere debetis.»

II. Dabimus divitibus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quid hoc pane suavius? Dicite mihi, divites: Quid desiderabitis, quando in articulo mortis constituti, citabimini ad tribunal Christi, ut reddatis rationem de omnibus vestris bonis, quomodo ea impederitis; an in luxum et superbiam, in commessationes et convivia, in canes et equos, in scurras et pellices: an ea in thesauris absconderitis; quid tunc optabitis? Nonne Christi misericordiam in tam severo examine, tot delictorum rei? Et promittit eam vobis Christus hac lege: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Joannes Baptista Christum prædicans, ait: *De plenitudine ejus omnes accepimus; gratiam pro gratia,* Joan. I. S. Augustinus et Beda explicant gratiam

gloriæ æternæ, pro gratia bonorum operum; quia et ipsa sunt dona Dei. Ergo qui desiderat obtinere gratiam in judicio a Christo, gratiam ei exhibeat nunc in pauperibus: gratiam charitatis et misericordiæ, pro gratia indulgentiæ et gloriæ. Misericordia misericordiam, gratia gratiam impetrat. Agrippa Judæorum rex a Tiberio Cæsare ad arborem ante palatium imperatoris alligatus, cum sibi æstualet, conspicatus quemdam e Cæi servis, nomine Thaumastum, gerentem hydriam, poposcit potum; et cum libenter oblatum hausisset inquit: *Certe, tuo bono, puer, exhibuisti mihi hoc ministerium.* Post enim a Caio Tiberii successore liberatus et regno restitutus, Thaumastum a Caio impetratum manumisit, et bonorum suorum dispensatorem constituit, Joseph. libro XVIII. antiq. capite VIII. Fulgos. libro V. capite II. Ecce vobis servum pro modica aqua misero et captivo regi porrecta, regni procuratorem constitutum. Quam magna gratia pro tam parva gratia! Retulit hanc homo profanus; quanto certius referet Christus? Is nunc in pauperibus suis quasi victus hic tenetur, fame et siti pressus. Divites ei gratiam (cibum, potum, vestem) impertiri possunt, et pro hac gratia recipient regnum cœlorum, nam: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aque frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam,* ait Matth. X. Hinc mirabilis illa virgo Christina, ut in ejus vita scribit Thomas Cantipratensis, bonis propriis abdicatis, cibum a magnis potissimum peccatoribus mendicabat, ut ipsi per eleemosynam acquirent Dei gratiam. Dicebat enim ad hoc se divinitus impelli, ut peccatores per illam viam ad peccati horrorem et pœnitentiam perducerentur: addens, nulla re Deum magis flecti ad misericordiam, quam exhibita pauperibus eleemosyna. Unde: «Die quodam intolerabili siti vexata, Deo eam instigante, ad mensam cujusdam sceleratissimi hominis splendide apparatus accurrit, potum ab illo petens. Ille præter morem suum insolita humanitate permotus, vinum ei obtulit; unde illa parum bibit. Ea causa contra omnium opinionem, quæ vitam noverant, Christina affirmavit eum in morte pœnitentiæ et contritionis gratiam pervenisse.» En gratiam pro gratia; imo gloriam æternam empta haustu vini.

III. Civibus: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quid suavius, quam vocari et esse filium Dei, hoc est, Deo quam simillimum et charissimum? Hoc esse vos, o cives et subditi, potestis, si pacem inter vos tenere et facere, conservare et conciliare volueritis. Quemadmodum enim filius tunc censetur patri similis et genuina esse proles, quando patrem imitatur in moribus et actibus

suis; sic et vos Dei filii eritis quam simillimi, si eum imitemini. Ipse autem est et appellatur *Deus pacis;* tum quia inter tres Personas summam semper tenet pacem et concordiam; tum quia pacem mundo rebelli obtulit, mittendo ei Filium mediatoris et principem pacis, qui ut in medio fere semper repertus est, ita et jam dixit: *Ubi sunt duo vel tres consentientes in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* Matth. XVIII. Similis enim simili gaudet, uti pater præsentia filiorum Unde S. Hilarius in eum locum: *Ipse enim, inquit, qui pax et charitas est, sedem atque habitationem in bonis atque pacificis voluntatibus collocabit.* Sensit hoc cœtus fidelium, qui in sacello aulico Clodovæi Francorum regis, dum a S. Rhemigio catechesi imbueretur, una cum ipso congregati erant. Delapsa enim cœlitus luce copiosa, vox Christi audita est: *Pax vobis, ego sum, nolite timere; manete in dilectione mea,* ut in vita S. Rhemigii, apud Sur. 13. jan. Ergo vultis esse filii Dei, eumque velut patrem inter vos habere, pacem habetote. Hinc Clemens Alexandrinus, lib. pædag. cap. XI. monet Christianos, ut ne in annulis quidem suis armorum figuras, veluti enses aut arcus, insculpant; quo ab omni discordia qua remotissimi sunt: *Neque enim idolorum, inquit, sunt imprimendæ facies; quibus vel solum attendere prohibitum est; sed nec ensis vel arcus iis, qui pacem persequuntur.* Ut enim consentientibus se jungit Christus, ita dissentientes fugit et odit: *Sicut in musicis,* ait in cit. Matthæi locum Origines, tract. VI. *nisi fuerit harmonia et convenientia vocum, non delectat audientem; sic Ecclesia, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea.*

IV. Quartum magistratibus: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quid hoc pane optatius, qui satiat appetitum? Saturari quærunt opibus, deliciis et honoribus, qui magistratus ambiunt: quærunt otium, libertatem, imperium, potentiam, pompam. Unde illis hæc saturitas proveniet? Esuriam et ardentem appetitum justitiæ administrandæ habeant. Saturent ipsi imprimis famem et sitim justitiæ divinæ, quæ, donec plectantur gravia scelera, præsertim contra justitiam admissa, satur et contenta esse non vult nec potest. Patet ex sacrilego furto illius Achan, de quo ait Dominus, Jos. VII. *Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est:* patet in Jona transfuga, in quem mare sæviens insurrexit, nec prius stetit a furore suo, quam a nautis ejiceretur in mare, Jon. I. Neque vero Dei justitia per hoc reorum perditionem, sed salutem potius sitit ac desiderat: dum enim trahuntur ad supplicia, compelluntur ad pœnitentiam; quia alioquin, si inulti

pergerent grassari in suis sceleribus, æternum perirent: *Mors enim*, inquit Cyrillus Hierosolym. (ut refert Petrus Dam. epist. XII. ad Godifredum, lib. VII. epist.) *quæ pænæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri.* Unde sapiens quidam non temere dixit, servata proportione, plures e patibulo, quam e lecto ad cælum ascendere. Famet igitur et appetit Deus maleficorum pœnas et supplicia, cupitque eam famem suam exsaturari a magistratibus, quos hunc in finem gladio accinxit, uti scribit ad prædictum Godifredum ducem Damianus, epist. XI. « Non, inquit, ad hoc præcingeris gladio, ut violentorum mala debeas palpare vel ungere, sed ut ea studeas vibrati mucronis ictibus obruncare: » et mox: « Scaber ensis efficitur, qui dum cohibetur semper a vulnere, non limatur. Quo contra per Ezechielem dicitur: Gladius exacutus est et limatus, ut cædat victimas exacutus est. » Quam ob causam S. Vincentius Ferrerius, Valentinus, ordinis Prædicatorum, cum Januæ, in urbe Italiæ, vir quidam Valentia oriundus, ab quædam scelera fuisset ultimo supplicio adjudicatus, et complures eum rogarent, ut ei vitam impetraret a Januensi duce: « Absit, inquit, ut opera mea justitiæ locus impediatur, et sceleratis hominibus impunitas concedatur. Illud vero lubenti animo faciam, ut genus mortis permutetur; » quod et facile impetravit, apud Sur. 5. april. Ergo si magistratus saturari bonis omnibus in cælo voluerint, saturent ipsi vicissim famem et sitim divinæ justitiæ.

V. Quintum dominis et dominabus: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Non sane hanc crassam, opacam, luteam, sed illam subtilem, lucidam, celestem in cælis; terram viventium, non morientium; novam, non antiquam; ubi sempiterna quies et stabilis est possessio. Quid hac promissione suavius? Hac vero frui imprimis poterunt domini dominæque, si imperando subditis se mites exhibuerint. Quinimo S. Chrysostomus, homilia XV. in Matthæum et brevi enarratione super hunc locum, putat eis etiam promitti possessionem hujus terræ, ita videlicet, ut terrenorum hominum (maxime subditorum) animos arctissimo amoris-vinculo sibi devincturi sint, quod est terram possidere. Justinianus, Genuensis historiographus, libro VI. præclarum refert lenitatis in subditos documentum. « Franciscus Marcio, inquit, jurisconsultus egregius, missus a republica Genuensi orator ad ducem Mediolanensem, eum is nollet eum dimittere nec pactis conventis cum Genuensibus stare, capta occasione, obtulit eidem duci manipulum herbæ ocymi; qui admirandus quid sibi hoc demum vellet, quæsit,

quid ei esset. Cui ille respondit, talem esse hujusmodi plantæ naturam, ut leniter ac suaviter contrectata, gratum odorem spiraret: nimis autem duriter compressa et attrita, non solum omnem suavitatem deperderet, sed etiam ineunte tempore scorpios generaret: habere autem se ingenia Genuensium eodem plane modo. Dux hoc ingenioso admodum responso delectatus, et sententiam priorem mutavit, et legatum honorifice dimisit. » Refert Caussinus, libro X. symbol. capite XXI. Expertus hoc est in subditis suis, quibus se mitissimum præbuit, Hugo Tuscianus dux, quem eo nomine laudat Beatus Petrus Damiani in epistola XII. supracitata his verbis: « Hic præterea sæpe, dum equitaret, comitum cuneos post se dimittere consueverat, et vel solus, vel uno contentus assecla, longius præcedebat, et tunc agricolas, vel opuliones his compellabat affatibus: Quid vobis, inquit, videtur de marchione isto, quem dicunt? Numquid non crudelis et impius pauperes opprimit, terram dissipat, et cuncta ditionis suæ bona profligat? Ad quod illi: Absit, aiunt, absit: falsum est penitus, o homo, quod loqueris. Non est enim potestas talis super terram, quæ sic violentiis et rapinis absteat, quæ in tanta pace et securitate subjectum sibi populum regat. Vivat, optamus, vivat illa potestas ad refugium pauperum, et prospere floreat ad omnium custodiam subjectorum. Quod ille audiens exultabat in Domino. Unde sæpe dicebat: In tanta volo semper erga subjectos, et præcipue rusticos, mansuetudine vivere, ut annona, quæ caballi mei rodentis ore delabatur, a rusticorum porcellis e vestigio colligatur. » Pari modo, si Roboam, (scribit idem cardinalis, in epistola XVI. ad Alexandrum Pp. libro I. ep.) *Senum consilii acquiescens, populo mitia respondisset, totum Israel sui juris imperio subdidisset: sed quia cœvorum suorum superbix credidit, divisit a se decem tribubus, sublimem regni potentiam humilem fecit.* Itaque asperitate sua terram amisit, quam mansuetudine conservasset et possedisset; sicque scorpiones, quos subditis minatus est, ex nimia eorum pressura incautus expressit atque in se concitavit.

VI. Sextum servis et subditis, viduis et pupillis: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Lugent si non omnes, saltem plerique subditi sub gravibus oneribus sibi impositis, sub multis laboribus et exiguis stipendiis, sub grandi censu et parvo proventu, sub pressuris et injuriis et nullis auxiliis. Sed en ipsis panem, qui luctum temperet: *Quoniam ipsi consolabuntur.* Magnam jucunditatem luctus aliquis præcedere debet. « Nisi tentatio, inquit Sanctus Chrysostomus,

hom. IV. ad populum, nec corona; nisi certamen, nec præmia; nisi studia, nec honores; nisi tribulatio, nec remissio; nisi hiems, nec æstas. Ethoc non in omnibus hominibus tantum, sed in seminibus quoque ipsis intueri licet: et in his etiam multam quidem pluviam, multam vero nubium collisionem, multam denique glaciem fieri oportet, si vernans spica exurgere debet: ubi vero sementis tempus et pluvix. Postquam igitur et nunc ingruit hiems animarum, non aeris, seramus et nos in hac hieme, ut in æstate metamus; seminemus lacrymas, ut metamus exultationem. Non meus hic sermo, prophetica denuntiatio est: *Qui seminant in lacrymis, inquit Psal. CXXVI. in exultatione metent.* » Sic ille. Qui agriculturam non vidit, mirari sane posset, si videret agricolam aratro vertere terram, et proscindere floridum ac speciosum aliquod pratium; deinde rubicundum et saluberrimum triticum adjuicere in luto sum agrum; insuper et cespite injecto sepelire; interim stivam tenere, pluvias, frigora et æstum sustinere; boves et equos e labore fatigare; denique cum fame et sudore domum redire; stultum forte rusticum diceret, qui nunquam rara coli vidit. At longe aliter agricola sentit, qui omne illud damnum et labores suos parvipendit, spe lætitiæ secururæ in copiosa messe. Sic fere S. Chrysostomus loco citato; subditque: « Cum agricola semina cum multo labore collecta seminaverit, ignarus quidem omnia quæ fiunt cernens, admirabitur, forteque apud seipsum dicet: Quid hic homo tandem facit? Collecta dissipat, nec dissipat tantum, sed et terræ cum multa cura commiscet, ne facile colligi possint; nec commiscet tantum terræ, sed et optat vehementem fieri pluviam, ut projecta omnia marcescant et lutum fiant; et turbabitur cernens fulmina et coruscationes deferri: agricola vero non ita, sed lætatur et gaudet tempestatem cernens; non enim præsentia respicit, sed futura spectat; non respicit fulmina, sed manipulos computat; non morientia semina, sed vernantes spicas; non gravem imbrem, sed jucundissimam aræ ventilationem. Itidem et nos non præsentem spectemus tribulationem aut dolorem, sed orientem ex ipsa utilitatem, ex ipsa nascentem fructum. » Sic ille. Nonne Jacob seminavit cum luctu, quando, ut fratrem fugeret, paternam domum deserere, et solus cum baculo in Mesopotamiam migrare, ibidem servire in æstu et gelu viginti annis debuit? At vide inde revertentem cum divitiis et gaudio: *In baculo meo*, inquit, *transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis* (filiorum et famulorum ac gregum) *regredior*, Gen. XXXII. Nonne Joseph seminavit cum luctu, quando a patribus in cisternam depo-

situs, inde in Ægyptum venditus et servire coactus, ibidem innocens in carcerem detrusus est? At vide revertentem cum honoribus, quando in aula Pharaonis primus a rege factus, et toti Ægypto præpositus, dixit: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, Genesis XLI. Idem ergo vos sperate, qui nunc in servitute et sub jugo ingemiscitis.

VII. Septimum conjugatis et virginibus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quid jucundius quam Deum videre in quo omnia sunt? Verum: *Quemadmodum lumen (solis) videri non potest nisi oculis mundis; ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest*, ait Sanctus Aug. l. 4. de serm. Dom. in monte. Jam vero Christum in cælo regnantem vident beati oculis externis et internis: humanitatem enim ejus vident externis corporis oculis; divinitatem vero ejus oculis mentis internis. Igitur conjugati et cœlibes, si ad hunc duplicem Christi aspectum pertingere volunt, mundi sint non corpore solum, sed et mente. Pulchre hoc docetur, Cant. III. ubi dicitur: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Lectulus Salomonis quid nisi lectus castitatis, seu cor castum, in quo verus noster Salomon Christus requiescit? Hunc ergo diligentissime custodiri sibi vult a fortissimis castitatis propugnatoribus, qui duplicem gerant gladium, unum evaginatum in manu, alterum in vagina reconditum, ex femore pendentem. Prior ille externam corporis puritatem, in manibus, oculis, lingua, auribus et toto corpore designat; posterior internam, ut ne cogitatione, desiderio vel concupiscentia aliqua lectum illum contaminemus; de quo S. Greg. l. X. moral. c. III. ait: *Nocturni timores sunt insidix tentationum occultæ. Ensis vero super femur est custodia vigilans, carnis illecebram premens.* Prior gladius resecat externam carnis immunditiam, posterior internam. Duo fuere latrones, qui ingressi domum Isboeth, occiderunt ipsum dormientem in strato suo; quia ostiaria domus obdormiverat, II. Reg. V. Duo etiam sunt insidiatores castitatis, diurnus et nocturnus, externus et internus: contra utrumque vigilet ostiaria domus, castitas, si Deum vult videre.

VIII. Octavum omnibus piis Christianis: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Hoc regnum omnes pii quærunt. Sed quæ ad illud via? Audite apostolum II. Timoth. III. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur; sive a dæmone tentante, sive carne blandiente, si-*

ve a mundo subsannante, vexante, alliciente, injurioso, spoliante. Qui enim a mundi consuetudine se subtrahere incipit, statim sibi adversantem experietur. Regia igitur ad caelum via non est nisi crucis, persecutionis et tribulationis. Unde S. Augustinus super Psal. LV. ait: « Si putaste non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox apostoli: Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutiones patiuntur? Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Christo pie vivere. » S. Clemens Alexandrinus, l. VI. stromatibus scribit: « In locis, quæ in magorum regione sunt frumentiora, referunt tres montes in spatioso campo esse positos; eos autem qui locum transmittunt, cum ad primum quidem montem pervenerint, audire vocem confusam veluti clamantiam, non paucorum millium hominum, perinde ac si essent in acie. Ad medium autem cum venerint, majorem simul et evidentioram strepitum apprehendere; tandem autem audire in fine canentes pœana, perinde ac qui vicissent. » Quid isti montes, nisi vitæ nostræ cursui notant? Primum, percurrimus, dum in perpetuo conflictu et persecutionibus versamur: secundum, tempore mortis, ubi pugnae et gemitus pereuntium magis invalescunt: per hos tamen ultimo pervenimus ad tertium, in quo sine fine pœana concinemus inter beatos: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*; nec in celo regnabit, nisi qui persecutiones sustinuerit, vulnera et vibices e conflictu retulerit.

Hi sunt panes dulcissimi ex ore Christi deprompti, e divite sane penu ac thesauro, quos cum Simeon, a columnæ statione dictus Stylites, dum adhuc opilio esset, promulgari in templo et decantari audiret, flentes scilicet ac lugentes dici beatos, ridentes vero miseros, fortunatos eos, qui mundam possiderent animam, etc. relictis ovibus, ad vitam monasticam se contulit, indeque columnam ascendit; in qua per diem ac pernox, supra annos quadraginta (ut habet, anno Domini 460. Baronius card.) stetit; quotidie his concionem ad confluentem turbam habens, in qua assidue id inculcabat: *Contemnite terrestria, amate et ambite celestia, quæ sola vos beatunt*. Refert Theodoretus testis oculatus, in Philotheo, cap. XXVI. apud Sur. 4. jan.

## CONCIO II.

## MERGES BEATORUM IN COELIS QUANTA.

I. Beati misericordiam consequentur. — II. Ipsi consolabuntur. — III. Possidebunt terram. — IV. Saturabuntur. — V. Deum videbunt. — VI. Filii Dei vocabuntur. — VII. Ipsorum est regnum caelorum.

## THEMA.

*Gaudete exultate, quoniam merces vestra copiosa et est in caelis. Matth. V.*

Narses, dux militiæ sub Justino II. imperatore (sicut refert Paulus diaconus, apud Baron. anno 566.) agens Neapoli in Campania, ut Longobardos e regionis suæ squalore et pauperrimo rure ad fertilissimos Italiæ campos cum armis invadendos evocaret, nuntium præmisit, qui lectissima Italiæ poma aliarumque frugum species eis afferret; quarum specie delectati Longobardi, et ex eadem opimam terræ fecunditatem conjicientes, magno statim et horribili exercitu Italiam inundarunt. Salvator noster, auditor, dux militiæ nostræ quam in terris militamus, in hodierno evangelio e pauperrimo nostro rure et exiliis squalore ad opimam et fertilissimam cœli regionem invadendam nos exstimulat: atque ut alliciat, lectissimos cœli fructus et amplissimam mercedem militaturis repræsentat, octo videlicet beatitudines; e quibus velut paucis pomis aureis cæteras regionis cœlestis ac beatorum delicias conjicere possemus. Quare si pauci Italiæ fructus excitare Longobardos potuere ad petendam bello Italiam; quomodo non promissa a Christo merces copiosissima in caelis nos evocabit ad expugnandum cœlum? Quod ut animosius aggrediamur, lustrare prius et delibare volumus fructus illos octo beatitudinum.

I. *Misericordiam consequentur*; non qualem ipsi miseris impenderunt, sed absque omni comparatione longe majorem, qualem promisit Dominus, Luc. VI. *Date, et dabitur vobis, mensuram bonam et confertam et coagitatam et superfluentem dabunt sinum vestrum*. Regales remunerationes dare solent reges, maxima pro minimis, uti Artaxerxes rex Sinetæ, pro pugillo aquæ, phialam, auream et stolam Persicam, et mille Daricos argenteos, apud Ælian. l. 4. var. hist. cap. XXXII. Agrippa rex Thaumasto servo Caii, pro haustu aquæ frigida procuraturam regni sui, apud Joseph. lib. XVIII. antiq. cap. VIII. Ludovicus XI. Franc. rex canoni rustico, pro una rapa mille aureos, aquæ Corozet. de dictis et factis memorab. Conradus imp. plebeiano in Cazenhausen, pro hospitio et cœna præbita, episcopatum Monaste-

riensem, apud Cranz. in metrop. l. II. cap. XXIX. Qualis remuneratio, qualis misericordia erit, quam rependet Deus iis, qui in ipsum ejusque pauperes fuerint liberales ac misericordes! Reges mundi rependunt munera, sed in arcam et marsupium, unde facile auferri possunt, ubi et putrescent; Deus vero munera sua rependit in sinum et cor nostrum, ut intime nobis adhæreant et auferri nequeant. Qualem ergo misericordiam consequentur in altera vita beati? Qualem consecutus ille, qui descendens ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones. Sanabit enim Christus verus Samaritanos omnia vulnera eorum, tollet omnes miserias: *Absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, et ultra non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra* Apocal. XX. Tollet eos insuper in equum gloriæ suæ, et introducet in diversorium regni sui. Qualem misericordiam consequentur? Quale consecutus est filius prodigus, quando in se reversus rediit ad patrem suum. Occurret enim illis Christus, et cadet super collum eorum, vestiet eos stola gloriæ suæ, excipiet convivio cœlestium deliciarum, exhilarabit symphonia angelorum, dum alii præsciti foris stabunt ac murmurabunt, et *famen patientur ut canes*. Qualem misericordiam consequentur? Qualem consecutus est Paulus, cum e naufragio enatans in Meliten, benigne acceptus a Publio principe insulæ, datis alimentis aliisque necessariis, et multis honoribus affectus est, Act. XXVIII. Sic enim cum electi e naufragio hujus corporis ejiciuntur in alteram vitam, benignissime excipientur a Christo, suppeditatis omnibus quæ desiderant, et honoribus plusquam regis cumulabuntur. Qualem misericordiam consequentur? Qualem consecutus est Loth, quando ex incendio Sodomæ ereptus, in tuto collocatus est, Gen. XIX. Sic enim beati in die judicii, quando: *Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum erit*, Psal. X. ipsi e medio eorum separati, statuentur in loco securi, a dextris Christi, et salvabuntur in monte sancto. Denique, consequentur misericordiam, quæ est ipsa vita æterna; tum quia gratia est promissa bene operantibus, tum quia beneficio gratiæ eam promeruerunt: consequentur misericordiam, quæ est ipse Deus, juxta id Psalm. LVIII. *Deus meus misericordia mea*; quia Deus erit illis omnia in omnibus, cibus, potus, vestis, sanitas, libertas et quæcumque alia. Hanc promisit Deus Abraham, Gen. XV. *Ego merces tua magna minis*.

II. *Ipsi consolabuntur*. Quale hoc erit solatium beatorum? Primo, quale est mercenarii, cum ven-

mercedem accipit, ubi Job dixit, cap. XIV. *Donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus*, dies quietis et mercedis, tanto utique suavior, quanto præcedentes laborum fuerunt amariores. Quis nescit cibum post longam inedia atque esuriam, potum post vehementem sitim, quietem post ingentes labores esse longe dulcissimam? Artaxerxes Persarum rex, cum in prælio siti confectus e sordido egeni cujusdam utriculo fœtentem ac putridam bibisset aquam serio protestatus est nunquam sibi ullius vini poculum tantopere sapuisse, Plut. in Artax. « Denique opportune ait S. Bernardus, serm. LXVIII. in Cant. post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit: jucunda omnibus lux, sed evadenti de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat. » Quantum igitur solatium erit beatorum, cum e tot laboribus in tantam quietem, e tot periculis ad patriæ portum, e tot timoribus ad tantam securitatem, e tantis ignorantie tenebris ad tam claram scientiæ lucem emigrabunt! Majus utique et dulcius, quam angelorum: non enim angelis, sed illis dicere licebit: *Transivimus per ignem et aquam, et educaisti nos in refrigerium*, Psal. LXXV. De Lazaro quidem in sinu Abraham quiescente dicitur, Luc. XVI. *Nunc hic consolatur*. Verum illud solatium non erat aliud, nisi finis et cessatio miseriarum. Longe excellentius est solatium beatorum, quod non tantum finem miseris imponit, sed insuper initium et continuationem dat omnibus deliciis.

Secundo, quale fuit viduæ in Naim, cum restitutus ei filius redivivus; vel archisynagogi, cum filia. Quantum esse putamus naufragi solatium, cum, depressa navi, non solum vitam propriam enatando servavit, sed etiam recuperat ex eodem periculo uxorem et liberos ac denique merces suas! Dicant experti: dicat Tobias, cum reducem excepit filium, Tob. XI. dicat Eustachius, quando conjugem et liberos, quos dudum extinctos putabat, vivos et incolumes sibi restitutos vidit, apud Surium 20. sept. dicant, quibus post sententiam mortis vita donatur, quantum sit solatium, recuperare chara pignora, vitamque jam depositam. Quidquid hic amarunt et charum habuerunt, ibi magno cum fenore recipient beati; quod erat etiam solatium septem Macchabeorum, cum membrum truncarentur vitæque spoliarentur. Denique, restituentur eis vires animæ, et in resurrectione corporis; de qua re B. Prosper. lib. I. de vita contempl. cap. IV. sic scribit: « Humanæ substantiæ ad conditoris sui similitudinem sublima-

tæ omnia bona, quæ naturaliter accepta peccato corruerat, reparabuntur in melius, id est, intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo: quoniam quidem quidquid hic corporibus humanis vitiandis aut ferarum morsus ademerit, aut improvisi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera diversa discerperint, aut humana crudelitas amputaverit, aut si ignis vel quælibet alia res aliquod debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negaverit, hæc et his similia corporum damna una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit.

Tertio, quale habuit Abraham, quando ablata ipsi conjuge a Pharaone, interim bene habitus fuit et beneficiis delinitus, donec inviolatam reciperet uxorem, Gen. XII. Spoliantur quidem ad tempus beati charis suis conjugibus, corporibus videlicet. Verum interim non dolent, sed consolatione demulcentur, sub certissima spe, quod in resurrectione ea recepturi sint, non modo inviolata, verum etiam puriora longeque nitidiora; quam proinde resurrectionem Syri appellant *consolationem*.

III. *Possidebunt terram*. Sed qualem terram? Primo, *terram viventium*, (cum hæc nostra sit morientium potius) de qua dicitur Psal. XXVI. *Credo videre bona Domini in terra viventium*; et Ps. CXLI. *Portio mea in terra viventium*. Ea vero non est qualis nostra, crassa et opaca; sed subtilis, lucida et supra paradysum omnibus deliciis, etiam quæ in sensu incurrunt et corpora recreant; alioquin corpora beatorum, quæ hic tanta exantlarunt, carerent sibi promeritis suis oblectamentis. Itaque decor et ornatus terræ nostræ quantus est, non nisi umbra quædam et rudis delineatio est illius terræ viventium. Quemadmodum ergo in nuptiis domini, etiam servi illius suas habent delicias et gaudia; sic in beatitudine non solæ delicias animæ, sed etiam torpora suis fruuntur voluptatibus, non carnalibus et terrestribus, quales in terra morientium sunt, sed cælestibus et sibi proportionatis, ut sentiunt S. Anselmus, l. de similitud. cap. LVII. S. Laurentius Justinianus, de discipl. monast. convers. c. XXIII. S. August. l. medit. c. XXV. et XXVI.

Secundo, terram seu territorium vastissimum, quale est totus terrarum orbis, possidebunt (ut si Hebræis terra sancta, in sortes distribuatur

eis cælum) singuli, velut domini, ita videlicet, ut nullus vastiorem possessionem desiderare queat. Si enim minima in firmamento stella aliquoties major terra est, quanta erunt spatia in cælo empyreo? Audiamus Augustinum, in Psalm. LXXXIII. « Possident Jerusalem cælestem, ait, sine angustia, sine pressura, sine diversitate et divisione limitum: omnes habent eam, et singuli habent totam; non angustat frater fratrem. » Miseri mortales hic pro uno agello dimicant, et Achab rex ditissimus propter unam vineam sibi denegatam insanire et lamentari cœpit, III. Reg. XXI. Cur pro terra illa non pugnant, quæ tam amplum singulis dabit latifundium, ut nequeant plus optare?

Tertio, terram seu habitaculum stabile et immotum, qualis sola terra est inter elementa. Norunt enim beati suam beatitudinem, possessionem perfectam, adeoque inamissibilem. Quæ sane notitia ineffabile eis gaudium parit sicut e contra in hoc mundo quidquid jucundum est, mœrore mox confunditur, dum breve et fluxum esse cogitatur. Nullus hac in terra locus est tam munitus, qui non expugnari queat. Jebusæi arcem Sion inexpugnabilem esse rati, ad ejus defensionem cæcos tantum et claudos, aut alioquin mutilos imposuerunt, in contemptum regis David, dictantes eos ad arcendum hostem sufficere, freti munitionum firmitate, ut scribit Josephus, lib. VII. antiq. c. II. et tangitur II. Reg. V. Tyrri quoque suam urbem in mari sitam invincibilem jactabant; unde in ejus turribus pygmæos collocarunt, ut habetur Ezech. XXVII. quo nimirum hostes irriderent, ut ibi vult Liranus. Verum et arx Sion a Davide, et Tyrus a Nabachodonosore primum, deinde ab Alexandro M. occupata et vastata est. Sola beatorum tellus est, quam vel cæci et claudi, adeoque tripalmæres pygmæi, propugnare possent. Quantam hoc beatis pariet lætitiæ? Quantum insultare poterunt omnibus inferorum portis et dæmonibus?

IV. *Saturabuntur*. Qua ratione? Primo, tali, ut quidquid eorum appetitus seu rationalis seu sensitivus desiderare potest, habituri sint. Ita enim Apoc. II. dicitur: *Vincenti dabo manna absconditum*: in cælo videlicet æternam felicitatem, ut exponit Richardus de S. Victore. Quænam ergo manna omnium ciborum, quæ quæque desiderasses, habuit saporis, continet? *Omne delectamentum et omnis saporis suavitas, et deserviens uniuscujusque voluptati*, ut dicitur Sap. XVI. ita Deus in cælo erit beatis omnibus omnia, quidquid tandem desiderent. Audiamus de hoc S. Anselmum, in prosologio, cap. XXV. In cælo: « Qui hoc bono fruatur, quid illi erit?

Et quid illi non erit? Certe quidquid volet erit: et quod volet non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quæ enim amas caro mea? Quid desideras anima mea? Ibi est, ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol: si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes angelis Dei, quia seminatur corpus animale et surget corpus spirituale, potestate utique, non natura: si longa et salubris vita, ibi sana est æternitas, et æterna sanitas, quia justus in perpetuum vivet, et salus justorum a Domino: si satiætas, satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei: si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei: melodia, ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo: si quælibet non immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis tuæ potabis eos, Deus: si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendit eis seipsam: si amicitia, diliget Deum plusquam seipsos, et invicem tamquam seipsos, et Deus illos, plusquam illi seipsos, quia illi illum et se, et invicem per illum, et ille se et illos per seipsum: si concordia, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas: si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ; nam sicut poterit Deus, quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volunt per illum, quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille; ita ille volet quidquid illi volent, et quod ille volet non poterit non esse: si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles supra multa constituet; i mofilii Dei et dii vocabuntur, et ubi erit Filius ejus, ibi erunt et illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si vera securitas, certe ita certi erunt, nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitit ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale et quantum est, ubi tale aut tantum bonum est? Cor humanum, cor expertum ærumnas imo obrutum ærumnis, quantum gauderet si his omnibus abundaret! » Hæc Anselmus.

Secundo, ita et nemo illorum plus gloriæ petat aut expetere possit, sed omnes ac singuli sua felicitate contenti sint et saturi, in quo stat perfecta beatitudo. Non reperitur hæc in terris, ta-

meti totum quis orbem terrarum, et quidquid in eo est, possideret; quinimo quo plura possidemus, eo plura appetimus. Fuit quidam in aula Alphonsi Aragonum regis, cum a quæstore regi deferrentur aureorum decem millia, forte præsens, ac dicebat, ea dumtaxat summa se divitem ac beatum fore. Cui rex: *Accipe, quantumcumque ea est, et beatus esto*, Panorm. lib. IV. rerum ejus gest. cap. II. Sultitiam illius notare voluit rex, cum pecunia præsertim tantilla minime reddere beatum queat. E contra Gelon Syracusius, cum Carthaginem subjugasset et Sicilia regnum sibi tributarium fecisset, necdum tamen se saturum esse sentiens, sibi ipsi indignatus, nudus in plateas exiliens, regno se opibusque omnibus, quæ nunquam satiant, renuntiare dixit, Ælian. lib. VI. var. hist. cap. XI. Non ita erit in cælo; sed: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, inquit David, Psal. XVI.

Tertio, ita ut satiætas non pariat fastidium. Manna tradunt Hebræi, apud Genebr. in Psalm. LXXVII. fuisse talem cibum, qui in ipsis membris (necdum in stomacho) digerebatur; unde non onerabat stomachum gravedine, nec caput fumis; non creabat excrementa, eratque facilis digestionis. Quia in re iterum typus fuit cibi justorum in cælo, qui ita eos satiat, ut minime gravet, nec tædium exsuscitet. Nihil est sub luna quod non tandem fastidium generet, nec ipse quidem voluptates. Grata semper est novitas, licet nihil sub sole novum, et quod nunc est, non fuerit prius. Sola beatitudo semper eadem, simul tamen absque tædio semper veluti nova est, ut edentes adhuc esuriant, et bibentes adhuc sitiant. Rationem dat S. Augustinus, in serm. de verbis apostoli: *Quia quantumcumque sibi mens humana exaggeravit bonum, quod Deus est, minus agit, et valde infra est. Et necesse est, plus inveniat adeptio, quam formabat cogitatio*. Non ita fit in aliis rebus, quæ absentes desiderantur, acquisitæ fastidiuntur; quia, v. g. mulier non talis apparet ducta, qualis apparuit ducenda.

Quarto, ita satiabuntur, ut singuli mercede sua contenti sint futuri. « Sicut enim corporalis saturitas (ait D. Prosper. l. I. de vita contempl. c. IV.) omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint: ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati saturi sunt. » Sic ille.

V. *Deum videbunt*. Sed quid ex hac visione acquirant? Primo, omnem beatitudinem: nam ut docet S. Augustinus, l. VIII. de civitate, c. VIII. Deum videre non est sicut amicum videre; quem cum

vides divitem, sanum, honoratum, potentem, formosum, tu non propterea efficeris dives, sanus, ex paupere, infirmo, etc. sicut ipse est; sed visio Dei similis est visioni lucis, quæ cum aspicitur, oculo communicat suas virtutes, claritatem, calorem, amœnitatem. Beati ergo Deum videntes, cuncta desiderabilia, quæ in ipso sunt, etiam ad se trahunt et derivant: ejus sapientiam opes ac delicias, gloriam, incorruptionem et æternitatem. Unde bene Philippus dixit: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, Joan. XIV.

Secundo, ex Dei visione rerum omnium cognitionem ac visionem: *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* ait S. Gregorius, lib. IV. dial. capite XXXIII. Cui addamus B. Prosperum, qui loco paulo ante citato ait: « Ibi (in cælo) ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit et tam perfecta munditia, ut habeant unde munitori suo Deo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant: quia nec ulla peccata ibi nec peccatores erunt; et qui ibi fuerint, jam peccare non poterunt. Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultra mutari non possit. »

VI. *Filii Dei vocantur*. Qua vero ratione? Primo, quia erunt Deo quam simillimi, velut adoptivi filii, qui cum naturales filii non sint, pro filiis tamen habentur, pene naturam filiorum imitantes. Filius naturalis trahit a patre similitudinem ejus per naturam: filius adoptivus trahit ad se patris similitudinem per gratiam. Jam sicut luna et stellæ lucem suam mutant a sole; sicut filii adoptivi accipiunt filiationis Dei nomen et dignitatem a Christo Filio Dei naturali; et sicut luna, illuminata a sole, videtur esse quidam sol nocturnus, et stellæ parvuli quidam soles: ita filii adoptivi sunt quasi alter Dei naturalis filius, cui participatione sunt simillimi. Sic ferum ignitum totum videtur transisse in ignem, licet adhuc ferri naturam retineat. Incomparabilis est ista beatorum gloria et merces nimis copiosa, cui plane nihil posse superaddi videtur. Quo enim altius possunt ascendere, nisi fiant et ipsi filii Dei naturales, quod impossibile est? Pro magno olim habitum fuit adoptari ab imperatore, et ad nominis communionem assumi. Maxima Josephi dignitas fuit, appellari *salvatorum* et secundum regis currum ascendere, Gen. XLI. maxima Amanis gloria: *Secundum a re-*

*ge* appellari, Esth. X. et XV. et: *Patrem regis*, cap. XVI. David etiam capere non poterat, quod ipse gener regis fieri deberet, I. Reg. XVIII. At hæc omnia exigua, imo nihil sunt, comparata cum dignitate et appellatione *filiorum Dei* immortalis, regum omnium Domini. Placuit sibi, vanissime licet, Alexander M. in ficta appellatione, qua Jovis filius dici amabat et volebat: quasi ea appellatio plus valeret, quam totum ejus imperium. Quid erit beatis, quæ gloria, quis honor, appellari in cælo filios Dei?

Secundo, quia erunt Deo charissimi, sicut filii patri. Et hujus præmii magnitudinem quis comprehendere queat? Si enim filii charissimi, ergo et hæredes honorum paternorum: ergo et commensales, patri semper proxime adhærentes: ergo summa agendi libertate præditi: ergo summo decore et gloria adornati: ergo omnibus gaudiis delictis, bonis voluptatibus affluentes et circumfluentes. Hæc omnia consequuntur filios regis charissimos. Unde merito Joannes dixit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*, I. Joan. III. Nos quidem hic promissione: beati vero etiam possessione.

VII. *Ipsorum est regnum cælorum*. Quid regnum hoc impetrat? Primo, summam potestatem dominandi in cælo et universo mundo, agendi quidquid lubet; quod aliis quidem filiis sub patria potestate constitutis non ita licet. Dominantur ergo non uni Hispaniæ, non uni Asiæ aut toti terræ sed universo orbi, cælo, terræ, elementis, inferis, dæmonibus; quia quidquid ipsi fieri volent, hoc approbabit Deus.

Secundo, summos honores accipient non a plebe aut quibuscumque, sed a SS. Trinitate, et imprimis a Christo Domino, sub cujus vexillo militaverunt, cum quo in tentationibus permanserunt, cujus calicem biberunt; deinde a ss. angelis, qui ipsorum egregia facta collaudabunt, ac prædicabunt; necnon a beatis aliis, præsertim iis, quos vel singulariter imitati sunt vel coluerunt, vel ad consequendam beatitudinem quomodocumque promoverunt.

Tertio, summam honorum omnium et regalium deliciarum abundantiam. Quid enim Samuel ad Saulem jam regem a Deo designatum? *Et cujus erunt optima quæque in Israel?* *Nonne tibi?* inquit, I. Reg. IX. quasi regibus debeantur omnes regni deliciae et selectissima quæque, sive ad victum et vestitum, sive ad pompam et voluptatem spectent. Et si hæc regibus terrenis, quid erit regnantibus in cælo? Hæc igitur sunt poma, hæc deliciae Italiæ illius cælestis, hæc merces militantium Christo. Inspiciat hæc qui vult, et vide-

at, an alibi talem mercedem, tales delicias militando, vel serviendo cuicumque tandem regi, comparare sibi possit. Pergite igitur vos quicumque Christo militare coepistis: gaudete et exultate, etiam occumbentes: *Quoniam merces vestra copiosa est in cælis*.

## CONCIO III.

QUALES CÆLI CIVES.

I. Omnes sapientissimi. — II. Omnes amici sunt sincerissimi. — III. Omnes nobilissimi. — IV. Omnes speciosissimi. — V. Omnes bene morati et aulici. — VI. Omnes ditissimi. — VII. Omnes jucundissimi et lætissimi.

## THEMA.

*Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Matth. V.

Non parum offensus fuit Deus, cum Hebræi jam educti ex Ægypto et in medio itineris, ad terram sibi promissam melle et lacte manantem instituti, fastidio languere et regredi Ægyptum voluerunt, spreta dulcissima illa patria. Iratus enim Dominus: *Usquequo*, ait, *detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque consumam*, Num. XIV. Neque introduxit quemquam illorum in Palæstinam, præter Josueum et Caleb, qui restiterunt populo. Similiter etiam displicuit Deo, quod captivi in Babylone assueverint Chaldæis, ita ut reverti in patriam non curarent. Unde toties eos monuit per prophetas, et gladium Persarum eis minatus est, uti Isa. XLVIII. *Egredimini de Babylone, fugite Chaldæos: et Jerem. LI. Egredimini de medio ejus (Babylonis) populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini*. Scimus patriam nostram in cælo nobis promissam, et concives nostros ibi jam degentes; nos a dæmonis servitute ereptos, ceptoque in itinere constitutos, non habere hic manentem civitatem: quam ergo displicebit Deo, sed ad beatam illam patriam et concives nostros non aspiremus, sed hic inter Ægyptios et Chaldæos potius vivere appetamus! Videmur sane nescire, qualis illa patria, quales cives sint. O si hoc sciremus! Quam sorderet nobis terra ista! Quam illuc festinaremus! Quare, ut hoc desiderium in nobis accendatur, consideremus cives illos.

Si esset aliqua civitas, in qua omnes cives essent sapientissimi, fratres amantissimi, nobilissimi, speciosissimi, aulici seu comites, ditis-

simi, jucundissimi; quis non appeteret esse illorum concivis? Ac tales sunt cæli cives omnes et singuli.

I. Cives cæli omnes sunt intelligentissimi. Nam primo, omnes se invicem norunt et intelligunt, quasi semper intimi amici fuissent. Colligitur ex eo, quod aliqui illorum, adhuc in terris positi, se invicem noverunt prius non visos, uti S. Antonius et Paulus eremita, S. Dominicus et Franciscus, qui se mutuo salutantes agnoverunt, et suis nominibus appellarunt, licet prius sibi ignoti. Si ergo hoc in terra quibusdam concessum fuit, non concedetur in cælis? Jam vero cum quis peregrinam civitatem ingreditur, quoties notum aliquem amicum offendit, toties novo gaudio perfunditur. Quid erit tot millibus sanctorum, toties desideratorum, occurrere in cælo? Quid notis parentibus et amicis?

Secundo, omnes sunt sapientes et eruditi, plusquam Adam aut Salomon. Jam si regina Saba tanto itinere venit ad Salomonem, ut ejus sapientiam perciperet; si philosophi ad S. Antonium licet illitteratum, audiendum, in solitudinem excurrerunt; si jucundum versari cum sapientibus: quid erit cum tot tantisque? Sane Cercidas civis Megapolitanus ex Arcadia dixit se libenter mori, quod inventurum se speraret Pythagoram philosophum, Hecatæum historicum, Olympum musicum, Homerum poetam, apud Æliam. I. XIII. var. hist. c. X. Similiter et Socrates mori optabat, ut cum talibus viris conversari posset. Nos non aspirabimus ut videamus Christum, apostolos, martyres, confessores, etc. qui illis terræ filiis tanto sapientiores sunt, quantum a terra cælum distat?

Hic in mundo plerique sunt rudes, quibuscum fastidiosum est agere, quorum vel unus molestus est sapientum consessui: non omnes novimus, nec omnium linguas intelligimus. At ibi omnes doctissimi et sapientissimi: *Quoniam ipsi Deum videbunt*. Quid autem non vident, ait S. Gregorius, qui videntem omnia vident?

II. Omnes sunt amici sincerissimi. Themistocles Atheniensium dux prædium venditurus, ex hoc potissimum id commendari a præcone jussit quod haberet bonos vicinos, Stob. ser. XXXV. indicans hoc eximium esse bonum inter cives. In cælo omnes vicini sunt optimi, omnes amicissimi.

Primo, sine ullo adversario, quale fuit regnum Judææ, sub Salomone rege pacifico dicente: *Nunc non est Satan neque occursus malus*, III. Regum V. *Et sedit unusquisque sub vite sua et sub ficu sua*, III. Reg. IV. In terra hic multi Satanae et Judæ sunt, qui perturbant vicinos et concives, sicut una fis-